THESIS I.

VARRO de ling. lat. lib. 5. & ISIDOR. orig. 15. c. 5. Judicem derivant *a jure dicendo*, quæ derivatio, licet secundum jus antiquum parum sit accurata, jure antiquo enim aliud erat Officium Jusdicentis, aliud Officium Judicis, quemadmodum & aliud erat *jus dicere* aliud *judicare*, *Rubr. L. unic. ne quis in sua causa judic. vel jus dic.* jure novo tamen, quo mos dandorum judicum Pedaneorum abrogatus est, vid. *l. 2. C. de Pedan. jud.*, & ita jus dicentis & judicis confusum, tolerari potest.

II.

Judex bifarie accipitur 1. secundum antiquum modum procedendi *pro judice Pedaneo*, qui (a Pretore similive Magistratu datus, formulæque ab eo præscriptæ adstrictus) nudam tantum notionem habebat, *l. 12. §. 1 & 2. ff. de re jud. l. ult. c. ubi & apud quem.* Dicitur *Pedaneus*, seu rectius, uti GELLIUS monet 3. c. 18. *Pedarius* quia non ἐν βήματι, id est pro tribunali, sed in pedaneis & minoribus subsellis sedebat, ut pedibus humum calcaret, unde & græcis χαμαιδικαστὴς dicitur, *Nov. 60. c. pr. Theoph. ad tit. J. de interd. pr.* eodem plane modo, quo Senatores dicti sunt Pedarii illi, qui nondum a Censoribus in Sena-

tum lecti pedibus in curiam ibant, non etiam curru vecti, qui in pleno senatu non occupabant sellas curules, GELLIUS 3. c. 18. & 20 jure novo pro ipso Magistratu *l. 1. l. pen. ff. de jud. l. 11. de jurisd. tot. tit.*, *l. 32. §. 7. ff. de recep. Arb.*, *l. 2. §. 1. ff. Si quis in jus voc. non ierit*, *l. 14. §. 1. ff. de relig.*, *l. 137. ff. de reb. jud.*

III.

Et hoc quidem sensu judex est *vir bonus*, *jurisperitus*, *jurisdictioni publica autoritate præpositus l. 137. §. 2. ff. de verb. oblig.*, *l. 4. §. 1. ff. fam. ercis.*, *Nov. 82. c. 1.*, *l. 3. c. de jurisd. omn. jud.*, quam definitionem etiam confirmare videtur HORAT. *Epist. 16. lib. 1.*

. . . . Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat
Quo multæ, magnæque secantur judice lites.

IV.

Dicitur *judex vir bonus*, plenius *d. l. 4. §. 1. ff. fam. Ercisc. bonus & innocens*, quinam autem sint dicendi *viri boni & innocentes*, egregie declarat *Cicero de Amicit. c. 5.* ubi ita loquitur, *qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides; integritas, æqualitas, liberalitas, nec sit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, sintque magna con-*

constantia : hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus.

V.

Jurisperitus : requiritur nempe ut judex legum, jurisque scientia imbutus tribunal conscendat, testatur illud equidem satis aperte *Imp. Justin. Nov.* 82. *pr.* estque etiam manifestissimum ex eo quod habetur *pr. Instit. de off. jud.*, judices scil. non aliter judicare debere quam legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est, id autem minime præstare poterit judex legum, constitutionum morumque imperitus.

VI.

Jurisdictioni publica authoritate præpositus. Etenim judex esse & jurisdictionem exercere nemo potest, nisi cui hæc potestas publica authoritate concessa sit, ab eo videlicet, penes quem est Majestas in Republica, sive sit Populus sive Princeps, *l. 3. C. de jurisd. omn. jud.*, *l. 3. ff. de off. Præt.*, *l. 3. in fin. ff. ad l. Jul. Maj.*, excluduntur itaque hic *Arbitri compromissarii*, qui privata tantum conventione constituuntur *l. 1.*, *l. 3. ff. de recept. & qui arbitrium recip.*, nec non *judices Pedanei*, quibus olim nuda, ut supra dictum, tantum notio, non jurisdictio competebat, vid. *l. 5. ff. de re jud.*

VII.

VII.

Officium judicis est facere, quod judicem facere & observare leges præcipiunt, vid. *l.* 25. §. 8. *de Ædil. Edict.*, *DD. officium judicis dividunt in Nobile & Mercenarium. Nobile* vocant, quod imperio mixtum est, seu quod judex sponte & propria authoritate exercet, etiamsi nulla petitio vel actio instituatur *arg. l.* 1. *ff. de jurisd. Mercenarium* vero, quod actioni præpositæ inhæret, eique inservit *arg. l.* 4. §. 1. *ff. de eo quod cert. loc.*, *l.* 25. §. 8. *ff. de Ædil. Edict.*, eoque contineri volunt omnia, quæ in ordine judiciorum ad sententiam usque definitivam observari solent.

VIII.

Et quidem jure antiquo *Officium Jusdicentis*, in jure dicundo consistebat, & iis quæ jurisdictionis sunt; quo pertinet minores lubrico consilio læsos in integrum restituere *l.* 1. §. 1. *ff. de min.* bonorum possessionem dare, in possessionem mittere, pupillis minoribus tutores curatoresve non habentibus, eos constituere, judices litigantibus dare, jubere cavere prætoria stipulatione *l.* 1., *l.* 4. *ff. de jurisd.*, sententiam judicum a se datorum exequi. *L.* 15. *ff. de re jud.* ut & mulctam dicere, & pignora capere, *l. un. ff. Si quis jusdicenti non obtemp.*, *l.* 4. §. 2. *ff. de dam. infect.* Officium judicis vero in nuda fere notione consistebat, eoque pertinebat dare & moderari dilationes

l. 7.

l. 7. *ff. de fer.*, jubere cavere ſtipulatione judiciali. §. 1. *Inſtit. de diviſ. ſtipul.*, cauſam cognoſcere & ſententiam pronunciare *l.* 9. *C. de judic.* qua dicta, finitum erat judicis pedanei officium. *l.* 55. *ff. de re jud.*

IX.

Potius itaque *Officium judicis*, tum quale ſit *extra* judicium, tum quale ſit *in* judicio conſiderandum videtur.

X.

Latiſſimum enim eſt *Officium judicis*, variaque ſunt, quæ, etiam *extra judicium*, ab eo peragi poſſunt, nam & in bonorum poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere poteſt, *l.* 1. *ff. de juriſd.*, imo & quandoque minime rogatus officium ſuum judex impertiri debet, ubi nimirum publica utilitas atque tranquillitas eum ad hoc implorare videntur *l.* 13. *pr. ff. de Off. Præſ.*, Advocatos etiam non tantum petentibus, ſed & fœminis, pupillis, debilibus, & qui ſanæ mentis non ſunt, licet non petant, dare debet: ut & ſi quis propter adverſarii ſui potentiam advocatum invenire nequeat: opprimi namque aliquem per adverſarii ſui potentiam non oportet, & ſpectat hoc etiam ad invidiam judicis, ſi quis tam impotenter ſe gerat, ut omnes metuant adverſus eum advocationem ſuſcipere *l.* 9. §. 5. *ff. de off. Proconſ.*

XI.

XI.

Porro in genere obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo facilem ſe præbeat, ita tamen ut contemni ſe non patiatur : unde etiam provinciales in ulteriorem familiaritatem non debet admittere : nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur *l.* 19. *pr. ff. de off. Præſ.* huc referre poſſet ut notat BERNARD. *Autumn. Conſtit. Franciſ. I. Galliar. Reg.* quæ promulgata fuit Anno 1535. Enjoignons, *inquit*, aux Préſidents & Conſeillers de notre Parlement ſur leurs ſerments, que le moins qu'ils pourront, ils frequentent avec les parties plaidantes en notre Cour, & qui ont à faire devant eux, & s'abſtiennent de toute communication dont pourroit être cauſé vraiſemblable préſomption & ſuſpicion de mal, & auſſi ne boivent ne mangent avec leſdites parties à leurs convies, ni avec leurs Procureurs & Avocats & autres qui les convieront aux pourchas & requêtes, ou dépens deſdites parties & à l'occaſion de leurs procès: nec non alia. *Philippi Valeſii A.* 1344. *quæ exſtat in Corpore juris gallici lib.* 1. *tit.* 12., *lib.* 2. *circa fin.* Tenentes, inquit, Parlamentum non bibant neque comedant cum partibus, quæ coram eis acturæ ſunt, neque partes cum ipſis, vid. *Lamb. Goris Comment. ad l.* 19. *ff. de off. jud.*

XII.

XII.

Sed *ratione judicii* judicis officium frequentius ſe exſerit, & maxime conſiſtit in *cognoſcendo*, *judicando* & *exequendo*: plane tamen, antequam judex tranſeat ad haſce principaliores officii ſui partes, neceſſaria quædam ad ſolitum judiciorum ordinem, ſtylumque curiæ pertinentia præcedere oportet. *L. 4. C. de Sent. & interloc.*, §. *ult. Inſt. de ſatiſd.*, *l.* 12. §. 5. *C. de reb. cred.*

XIII.

Itaque præcedat *in jus vocatio* ſeu *citatio partium*, quæ actionum inſtituendarum, omnisque adeo judicii prima pars eſt, & principium, §. *ult. Inſt. de pœn. tem. litig.*, quæ, cum nemo inauditus condemnari poſſit, in omnibus cauſis maxime neceſſaria eſt, §. *ult. Inſt. de pœn. tem. litig. Geneſ. C.* 3. *v.* 9. *ſeq.* adeo ut, ſi omiſſa ſit, omnia, quæ in judicio fiunt, ſint ipſo jure nulla *vid. l.* 4. *C. de ſent. & interloc.*, *l.* 7. *C. quomodo & quando.* Citationi autem jure novo jungendus eſt *Libellus*, *Authent. offeratur C. de lit. cont.* qui nihil aliud eſt, quam ſcriptura intentionem actoris complectens, *l.* 1. §. 1. *ff. de Edend.*, *l.* 6. §. 7. *ff. eod.*, §. 24. *inſt. de action.*

XIV.

Partes principales *Libelli* ſunt *Exordium*, *Propoſitio* ſive *Narratio facti* & *Concluſio*: in *Exordio* proponitur nomen *Judicis*, *Actoris* & *Rei*; in *Propoſitione* congrua & perſpicua facti narratio, quæ per modum ſyllogiſmi juridici fieri ſolet; ita, ut loco majoris ponatur *jus*, loco minoris *factum*, v. *Daniel. 3. v. 9 & ſeqq.*, expoſita ſimul cauſa petendi generali vel ſpeciali, generali in Actionibus in Rem, ſpeciali vero in Actionibus in Perſonam, & nomine actionis expreſſo, *l. 11. §. 22. ff. de except. rei jud.*, *l. 33. ff. de jud.*, *l. 3. C. de Edend. l. ult. C. de interd.*, *v. Cl. Weſtenb. Diſſert. de cauſis obligat.*, *c. o. C. 1. §. 9*, 10. ex hiſce jam formatur concluſio, quæ eſt apta & naturæ negotii conveniens petitio, *v. §. 1. 14. I. de action. l. 6. ff. de rei vind.*, licet in criminalibus generalis petitio ſufficiat arg. *l. 1. §. 4. in fin. ff. ad Sct. Turp.*, *Carpz. quæſt. crim. part. 3. q. 106. n. 14. & ſeqq.*, in concluſione omnis libelli vis verſatur, *Carpz. p. 1. conſt. 2. def. 1. n. 3*, *Gail. 1. obſ. 61. n. 3. & ſeqq.*, unde etiam a DD. pragmaticis vocatur *Stella polaris*, ad quam judex in judicando reſpicere debet. *Zaſ. ad pr. I. de Act. Hub. ad tit. ff. de Edend n. 7. Bœkelm. ad dict. tit. §. 2. Donell. in l. 3. c. eod. Hotom. in l. 1. C. de probat.*

XV.

XV.

2° Requiritur, ut partibus præstentur *Satisdationes*, sive *Cautiones judiciales*, tum ut adversarius reddatur securus, tum ne forte judicium fiat eluforium & inane, quod fieri non debet *l. 75. ff. de jud.*, & quidem *Reus* in jus vocatus satisdat non tantum *de judicio sistendo*, *l. 1. ff. in jus vocatus ut eat:* sed etiam *quod ad terminum litis in judicio mansurus sit*, §. 2. *l. de satisdat.* Procurator vero *Rei* absentis, cavet judicatum solvi, *vid.* §. 4. 5. *l. eod.* Sed & actor cavet se sub pœna dupli intra duos menses a tempore exhibiti libelli litem contestaturum esse, eamque ad exitum persecuturum, & si causa ceciderit, se, impensarum nomine, decimam quantitatis libello comprehensæ partem restituturum, *Nov. 96. C. 1. Auth. generaliter*, *C. de Episc. & Cler.*, *vid. Ann. Rob. rer. jud. lib. 4. c. 11.* quod tamen jure novo non videtur esse necessarium, quoniam judex ex nobili officio debet condemnare temerarium litigatorem in expensas litis *dd. ll.* Procurator *Actoris* vero satisdat dominum rem ratam habiturum, §. 3. *l. de satisdat.*

XVI.

Hisce ita præmissis, sequitur denique *Litis contestatio: quæ est judicii suscepti utrimque facta professio, seu negotii hinc inde apud judicem facta narratio, continens petitionem actoris & ad eam rei conventi responsionem per contradictionem,*

dictionem, *l. un. C. de lit. cont. junct. l.* 14. §. 1. 2. *C. jud.*, *l.* 2. *pr. C. de jurej. propter calumn.*

XVII.

Ut autem judicium, in quo ipse Deus Præses præsensque est, *l.* 14. *C. de jud.*, *junct.* 2. *Paralip.* 19. *vs.* 6. eo sanctius & religiosius peragatur, fraudibusque simul & falsitatibus via præcludatur, tum *Judex*, tum etiam *Partes*, earumque *Advocati* jusjurandum præstare tenentur.

XVIII.

Judex jurabat in legibus, *Ascon. in Verrin. l.* 14. *C. de jud.* antiquitus jurare solebant ad Aram, quæ Puteal Libonis dicebatur: Argumento est locus HORATII I. *Epist.* 19.

. . . . *Forum Putealque Libonis*
Mandabo siccis . . . .

& PERSII *Satir.* 4.

Si Puteal multa cautus vibice flagellat,

Sub Impp. vero Christianis jurabant tactis S. S. Evangeliis, (quod *corporaliter jurare* dicebant *Cujac. ad Nov.* 51.) quæ ante sedem judicialem deponi, & non solum in principio litis, sed etiam usque ad definitivæ sententiæ recitationem permanere *Imp. jussit*, *d. l.* 14.

XIX.

XIX.

Partes, earumque Advocati præſtant jusjurandum calumniæ, §. 1. *l. de pœn. tem. lit.*, *l.* 1. 2. *& tot. tit. C. de jurej. propt. Calum. l.* 14. *C. de jud.* quod eſt vel *generale*, vel *ſpeciale: generale* eſt, quod ab utroque litigantium ſemel tantum ſuper tota cauſa præſtatur *d. l.* 2. *C. de jurej. propt. calum. d. l.* 14. *pr. C. de jud.*, *ſpeciale* eſt, quod exigitur toties quoties præſumptio eſt contra aliquem, quod malitioſe aliquid proponat, vel ab adverſario poſtulet, & inprimis frequentari circa probationes ſolet, *N.* 49. *C.* 3. idque non tantum a litigantibus initio litis præſtandum, ſed etiam ſæpius quovis cauſæ articulo *l.* 1. *C. de jurej. propt. calum. l.* 34. *ff. de jurej. l.* 9. *C. eod.* non obſtat, *N.* 49. *C.* 3. Imperator enim ibi non prohibet, etiam poſt litem conteſtatam, jusjurandum de calumnia ſpeciale exigere ab eo, qui probationem requiret, quantumvis prius de calumnia juraverit generaliter, dummodo non etiam ſimul juraverit ſpecialiter.

XX.

Judicio igitur hoc ordine fundato, atque munito, omnium rerum, quæcunque in judicio geruntur, officium judici incumbit, vid. *l.* 25. §. 8. *ff. de Edil. Edicto.*

XXI.

XXI.

In cognoscendo caveat judex, ne interiores animi affectus, & perturbationes foris pandantur, sed uti Chrysippus eum graphice depingit in descriptione justitiæ apud Gell. 14. C. 4. *Neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitatem præ se ferat*: quod eleganter exponit *Jurisconf. Callistratus in l. 19. §. 1. de off. Præs. non oportere eum excandescere adversus eos, quos malos esse putat, neque precibus calamitosorum illachrimari; id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit, sed ita jus reddere debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat*; hic referri potest oratio seu sententia Cæsaris a Cicerone rogati, pro captivis, Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio & Cæpario, ne morte plecterentur, quæ incipit, *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira & misericordia vacuos esse decet*, & pergit *in maxima fortuna minima licentia est: neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet*. Vid. *Sallust. in bello Catilino cap.* 51. Et præcipue in pœnis infligendis non debet gloriam clementiæ vel severitatis affectare *l.* 12. §. 1. *qui manumitt. poss. l.* 5. *l.* 11. *l. pen. de pœn.* Adeoque ita debet fungi officio judicis, ne negligat officium boni & justi viri. Antequam autem partes in causa concludunt sæpius eas interrogare judicem oportet, num quod novi addere desiderent. *L.* 9. *C. de jud.*, post conclusionem causæ enim, ulteriori-

terioribus allegationibus locus amplius non eſt, *l. 9. & Auth. ſeq. C. de jud.*, unde & Practici dicunt, poſt concluſionem in cauſa partibus *Os clauſum Gail. 1. obſ. 108. n. 2.* inſignem tamen hoc patitur limitationem in criminis Reo, qui etiam poſt concluſionem in cauſa ad demonſtrandam innocentiam admittendus *Gail. 1. obſ. 107. n. 51. Anth. Matth. de crim. lib. 48. tit. 15. c. 7. n. 2.* Idque in favorem defenſionis receptum, cujus reſpectu etiam ſæpe alias a communibus juris regulis receditur. *Carpz. pract. crim. p. 3. quæſt. 115. n. 74 & ſeqq.*

XXII.

Ubi jam a partibus in cauſa concluſum eſt, judex cauſam plena in quæſtione diſcutere, ſingula accurate rimari & expendere, diligentique examine ſibi viam ſterrere debet ad ſententiam ferendam. *L. 2. C. de ſent. ex peric. recitand.*, unde ſi ipſi de cauſa nondum ſatis liquido conſtet, ex officio ipſam etiam concluſionem reſcindere, ulterioremque probationem partibus injungere poteſt: quia quoad judicem, nunquam in cauſa concluditur *Gail. 1. obſ. 107. n. 5.*, nam, ut vetus habet ſententia, *ad pœnitendum properat, cito qui judicat.*

XXIII.

Hinc etiam eſt, quod, ſi quæſtio ſit de aliqua arte,

arte, judex tum debeat adhibere istius artis peritos, eosque consulere, ut ita instructior ad eorum testimonium & judicium, sententiam ferat. Vid. *Perez. ad C. de Tabul. & Scrib. n.* 14., *& ad tit. C. de pond. n.* 5, *Carpz. p.* 4. *const.* 32. *def.* 5. *p.* 1. *const.* 26. *def.* 1. 2. 3. 4 & 5, hisce autem de arte sua deponentibus non aliter nisi juratis creditur. Arg. *l.* 6. §. 1. *c. de secund. nupt.*, *l.* 20. *c. de fide instrum.*, *l.* 11. §. 1. *C de Advoc. div. judic.*, *Nov.* 7. *c.* 3. *adde Gail.* 2. *obs.* 111. *n.* 9. *Carpz. d. def.* 4. *n.* 5 & 6. *d. p.* 4. *const.* 33. *def.* 5. *n.* 8.

XXIV.

Præmissa causæ cognitione ad officium judicis pertinet, sententia sua liti finem imponere, adeoque Reum, si Actor intentionem suam probaverit, condemnare, *l.* 1. *ff. de re jud. l.* 4. *C. de Edend.*, merito igitur æterna deflagrabit infamia Pontius Pilatus, qui, ne Cæsaris iram incurreret, & ignobile vulgus minus sibi favens haberet, Jesum Christum Salvatorem nostrum flagellis mortique tradidit *Marc.* 5. *vs.* 15. quem, cum esset innocentissimus, uti ipse professus est *Luc.* 23. *vs.* 4. 14 & 15. absolvere debuerat.

XXV.

Debet autem judex sententiam pronunciare certam §. 32. *I. de Act. l.* 21. *ff. de reb. cred.*, estque sententia certa

certa vel *per se l. 59. pr. de re jud.* vel *per relationem ad aliud*, quando nimirum judex se refert ad ad Libellum, Testamentum, aliudve instrumentum *d. l. 59. §. 1. ff. eod.* porro non tantum sententiam ferre debet de lite principali, sed etiam de ejusdem accessoriis ut sunt usuræ, fructus, litis expensæ & similia *l. 75. ff. de jud. l. 49. ult. ff. de act. emt.*

XXVI.

Cum autem judex in hisce terris Dei Minister & Vicarius sit, *Epist. ad Roman.* 13. *v.* 1. 4. 6. unde etiam judices in sacris *Dii* dicti *Psalm.* 82. *v.* 6. officio suo ita fungi eundem oportet, ut Deo similis & vir bonus, uti in jure nostro sæpius appellatur vid. *l.* 137. §. 2. *ff. de V. O. l.* 18. *ff. judic. sol.* potius sit, quam dicatur: *cum enim omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici quam possit in moribus inveniri, Cassiod lib.* 8. *varior. ep.* 18. Curiæ limen igitur judicandi causa ingressurus omnes pravos animi affectus procul abjiciat, & in omnibus se bonum & innocentem virum præstet: unde personam non debet suscipere in judicio *Deuter.* 1. *v.* 17. *Proverb.* 24. *v.* 23 neque gratia aut odio ductus unum absolvere aut alterum condemnare: a muneribus & sordibus etiam abstineat, ne sententias habeat venales *l.* 6. §. 3. *ff. de off. Proconf. l.* 18. *ff. de off. Præf.* 2. *Paralip.* 19. *v.* 7. *Munera enim excæcant oculos, & per-*

 vere

vertunt mentes justorum, *Exod.* 23. *v.* 8. *quin imo væ dicit Dominus absolventibus improbum propter munus*, *Esai.* 5. *v.* 23. *& hoc etiam usque adeo procedit, ut ne quidem ab eo, qui bonam habet causam, quicquam accipere liceat*, *l.* 2. §. *ult. ff. de cond. ob caus.* non enim amor præmii, sed justitiæ defensio judicem ad veritatem provocare debet.

XXVII.

Quantum ad modum judicandi attinet, judex id sequatur, quod convenit eum ex fide eorum quæ probantur sequi *l.* 6. §. *de off. Præs.* adeoque secundum Acta & Probata judicet: non tamen contra conscientiam, sed simul secundum conscientiam ex *Actis* scil. & *Probatis* instructam *d. l.* 6. §. 1., *l.* 79. §. 2. *ff. de jud.*, *l.* 3. §. 2. *in fin.*, *l.* 13. *ff. de testib.*, *Nov.* 125. *c.* 1., *Cic. pro Cluent.* c. 58.

XXVIII.

Quod si conscientia actis & probatis sit contraria, judex siquidem talis sit, a quo provocari potest, recte faciet si deponat officium judicis & induat personam *testis*: contra Acta enim & Probata judicare non licet, quia cæteroquin fenestra aperitur malis hominibus, vid. *A. Gell.* 14. *c.* 2. Si autem talis sit, a quo nulla est provocatio, prout animi conscientia & religio suggerit, sententiam proferre debet, *l.* 79. §. 1. *de jud.*

XXIX.

XXIX.

Ex dictis jam liquet in administratione justitiæ *casui pro amico* locum esse non posse: ponit enim personam amici qui induit judicis. *Cic. 3. off. c. 10. & ut Valer. Max. lib. 2. c. 2.* dicit privata charitate abjecta publicam induere judicem oportet, Philosophi tamen amici causa de via declinare permiserunt, vid. *Gell. 1. c. 3.* in quæstione etiam incerti juris locum facit casui pro amico, *Bacchov. ad Triuil. vol. 1. disp. 1.* ita tamen, ut nunquam contra conscientiam & justitiam committatur, cæteroquin casus pro amico est casus pro Diabolo *Bacch. d. l. vid. l. 3. in fin. l. 14. ff. ad Sctum. Trebel.*

XXX.

Porro observare debet judex, ne aliter judicet quam legibus aut moribus proditum est, *pr. l. de off. jud. l. 13. C. de Sent. & Interloc. Auth. jubemus C. de judic.* legem itaque in judicando, tamquam normam, sequi debet, etiamsi forte sit dura, nec enim potest judex clementior esse lege *l. 12. §. 1. ff. qui, & a quib. manum.*, *Nov. 82. c. 10.* & postquam leges latæ sunt, non de ipsis, sed secundum ipsas judicandum: adeo ut duritiem illam æquitatis ratione flectere nequeat, hoc solius est Principis *l. 1. l. 9. l. 12. C. de ll.* quemadmodum & duritiem *d. l. 12.* mitigarunt Impp. *l. 32. C. ad l. Jul. de adult.*, sed hoc ita demum procedit, si & ipsa legis verba & simul mens legislatoris sint clara

& perſpicua, quod ſi autem legis ſenſus ſit anceps & dubius, judex eam interpretatione ſua mollire, majoremque æquitatis, quam ſtricti juris rationem habere debet *l. 8. C. de jud. l. 90. ff. de re jud.* ubi tamen ſedulo cavendum judici, ne ſub æquitatis ſpecie affectibus, quod ſæpe fit, indulgeat: *in hoc genere* enim (ſcil. in quæſtione de bono & æquo) *plerumque ſub auctoritate* juris ſcientiæ perniciose erratur *l. 91. §. 3. ff. de V. O.*

XXXI.

In *Statu* igitur *judiciali*, ſeu quæſtione juris, quod judicem ſequi oporteat, in medio poſitum eſt: ſiquidem ex jure, quod certum eſt, & notum ei eſſe debet, ſententiam fert, idque ſupplere debet, ſi a litigatoribus aut eorum Advocatis non allegetur aut probetur *l. un. C utquæ deſ. Adv. jud. ſuppl.*, in *Statu* autem *conjecturali* ſeu cum de facto ambigitur, judici, quod deeſt in facto, ſupplere non licet, *arg. d. l. un. C. utquæ deſ. Adv.* ne patrocinari ipſe potius quam judicare videatur contra *l. 6. §. ult. C. de poſtul.*

Quod autem ea, quæ ſunt juris, judex ſuppleat, non item quæ facti, ratio eſt, quod illa ſint certa & judici nota eſſe debeant, ut proponi neceſſe non ſit: hæc vero, quæ in facto verſantur, quia incognita, allegari debent, immo quamvis notoria ſint, non debent a judice

ſupple-

ſuppleri, nam notorium factum, licet relevet ab onere probandi, non tamen a neceſſitate allegandi.

XXXII.

Quod ſi judex expreſſe contra leges, conſtitutiones vel conſuetudines judicaverit, ſententia eſt ipſo jure nulla, adeo ut nequidem appellatione opus ſit, *l.* 1. §. 2. *ff. quæ ſent. ſine appell. reſcind. l.* 19. *ff. de appell.* contra leges autem & conſtitutiones judicatur expreſſe, cum de jure legis vel conſtitutionis non de jure litigatoris judicatur; veluti ſi dixerit judex, neque filios neque æratem aut ullum privilegium ad muneris vel tutelæ excuſationem prodeſſe *d. l.* 1. §. 2. *d. l.* 19. *ff. de appell.*, non obſt. *l.* 27. *ff. de re jud.* nam ibi judex non expreſſe & nominatim Reum in uſuras uſurarum condemnavit, ſed tacite in eam ſummam, quæ comprehendit in ſe uſuras uſurarum: Sin ſecundum leges quidem, ſed contra jus partium, ſententia ſubſiſtit, & ab ea appellandum eſt, *d. l.* §. 2. *ff. quæ ſent. ſin. appell. reſcind.*

XXXIII.

Supereſt ut agamus de pœna judicis qui male judicavit, & quidem *l. XII. Tabb.* judex, qui ob ſententiam dicendam pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite punitur, teſte *A. Gell.* 20. *C.* 1. Sed hæc pœna, cum nimis gravis & acerba videretur, poſtea in deſuetudinem abiit, ejuſque

in

in locum alia ſurrogata: judex enim, qui per ſordes & turpitudinem male judicavit, in cauſa civili dati triplum, promiſſi duplum reſtituere jubetur, *Auth. novo jure C. de pœn. jud. qui male judic.* eique cujus intereſt, non tantum in ſolidam litis æſtimationem tenetur, ſed etiam notatur infamia, *l. 2. C. d. t.* in criminali cauſa, qui acceptis pecuniis male pronunciaverit, omnia bona amittit, *Auth. jure novo C. de pœn. jud. qui male judic.*, præterea ſententia venalis eſt ipſo jure nulla *l. 7. C. quando provoc. non eſt neceſſ.* Si autem judex per imprudentiam male judicaverit, non ex vero, ſed ex quaſi delicto tenetur, litemque ſuam facit, id eſt, periculo litis ſe obſtringit, cauſamque ejus, ſecundum quem pronunciavit, ſuſcipere cogitur, & quaſi ſuam defendere, *pr. l. quæ quaſ. ex del. naſc. l. 5. §. 4. ff. de obl. & Act.*

XXXIV.

Sententia ubi dicta eſt, ſiquidem Reus condemnatus intra decem dies neque appellet, vid. *Nov 23. c. 1.* aliove modo ſententiam ſuſpendat, neque intra ſtatutum tempus id eſt quatuor menſes *l. ult. pr. §. 1. C. de uſur. reijud.* actori ſatisfaciat, judex rem judicatam denique exequi debet *l. 2. l. ult. C. de exec. rei jud.* & ſiquidem Res certa petita exſtat, executio in ipſum corpus facienda, eaque manu militari auferenda *l. 68. ff. de R. V.* vel Actor in poſſeſſionem mittendus eſt, *l. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.* Modo judicium

cium ſit reale aut perſonale, quo agitur ad illud recuperandum quod noſtrum fuit & nobis ex obligatione eſt reſtituendum; ſin debiti ſolutio, æſtimatio rei aut intereſſe præſtandum, executio captis pignoribus facienda eſt, *l.* 4, *l.* 25. §. 2. *ff. de re jud.*, *l. ult. C. de exec. rei jud.*

XXXV.

Fit autem executio promiſcue in omnibus bonis; quibuſdam exceptis, & quidem in actione hypothecaria prohibentur executores pignori capere ſervos aratores, boves aratorios, inſtrumenta aratoria, aliaque ad agriculturam neceſſaria, ne agricultura impediatur, & exinde tributoria illatio retardetur *l.* 7. *l.* 8. & *Auth. ſeqq. C. quæ res pign. obl. neq.* idem porro de armis, annonis & ſtipendiis militum, de ſalariis, libriſque Doctorum, inſtrumentis artificum, pane, lecto, veſtibus quotidianis & neceſſariis ſupellectilibus arg. *l.* 40. *ff. de re jud. l.* 6. *ff. de pign. & hypoth.*, excipiuntur denique res litigioſæ, *l.* 15. §. 4. *ff. de re jud.*, ſtatuæ, quæ debitori honoris cauſa in publico poſitæ ſunt, *l.* 29. *ff. de reb. auct. jud. poſſid.*, concubina & liberi naturales, *l. pen. ff eod.* Quis autem ordo in diſtractione pignorum ſit præſcriptus vid. *in l.* 15. §. 2. & *ſeqq. ff. de re jud.*, atque hæc in genere *de officio judicis* diſſerere placuit; quodnam autem ſit judicis officium in ſingulis actionum ſpeciebus, per exempla oſtendit *Imp. in* §. 1. & *ſeqq. Inſt. de offic. jud.*

Hæc

Hæc ſunt, quæ de judice dicere volui, latior quidem exſpatiandi campus erat, ſed nolui juſtum diſſertationis modum excedere, ne prolixitate faſtidium pariam Ideoque manum de tabula tollo.

Inveniat quod quiſque velit non omnibus unum eſt,

Quod placet, hic ſpinas colligit, ille roſas.

FINIS.

AD